



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE***INTER APOSTOLICAM*MEMORIAE PRODITUR SUMMUM  
PONTIFICEM IOANNEM PAULUM II

PER APOSTOLICAM VISITATIONEM IN REPUBLICA CECHA

DIE XXI MENSIS MAII ANNO MCMXCV CORONAVISSE

IMAGINEM BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE PIE COLITUR IN

SANCTUARIO MARIALI LOCI «ŽAROŠICE» INTRA FINES BRUNENSIS DIOECESIS Ad perpetuam rei memoriam. –

Inter Apostolicam Nostram Visitationem in dilecta Cecha Republica hoc anno, die XXI mensis Maii, in Sanctuario «Svatý Kopeček» prope urbem Olomocium perquam libenter excipientes preces, quas Venerabilis Frater Adalbertus Cikrle, Episcopus Brunensis, litteris die XXVI mensis Februarii ipso anno datis, nomine cleri populique sui Nobis porrexerat, pretiosis diadematibus, benedictione sacratis, redimiimus gratiosam imaginem Beatae Mariae Virginis cum puero Iesu, quae pie custoditur a Canonicis Regularibus Sanctissimae Crucis a stella rubea in Sanctuario mariali loci «Žarošice» intra fines memoratae Brunensis dioecesis. Pristinus quidem et peculiaris est cultus, quo fideles Moraviae ac propinquae Slovachiae Nationis necnon finitimarum Austriae regionum eandem Virginem prosequuntur et invocant titulo «Antiquam Matrem Dei-Thaumaturgam Moraviae». Nunc vero ut huius sollemnis coronationis memoria in posterum perennis vigeat ac pariter indicetur fidelium voluntas praecelsam Dei Genetricem diligendi et sequendi utpote solidissimam omnium spem atque ad caelum tutissimam viam, audita antea Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, has Apostolicas Litteras dari iubemus, testes verissimas tam fausti ac felicissimi eventus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Novembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri duodevicesimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

---